

*GE.* pergit hercle. numquam tu odio tuō me vinces. *AN.*  
non manes?

850 *GE.* vapula. *AN.* id quidē tibi iam fiet nisi resisti'. 10  
verbero.

*GE.* familiariorē oportet esse hunc : minitatur malum.  
sed isne est quem quaero an non? ipsust, congregere actu-  
tum. *AN.* quid est?

*GE.* [o] omnium quantumst qui vivont hominum homo  
ornatissime!

nam sine controversia ab dis solu' diligere, Antipho.

855 *AN.* ita velim; sed quī istuc credam ita esse mihi dici 15  
velim.

*GE.* satine est si te delibutum gaudio reddo? *AN.* enicas.

*PH.* quin tu hinc pollicitationes aufer et quod fers cedo.

*GE.* oh

tu quoque aderas, Phormio? *PH.* aderam. sed tu cessas.

*GE.* accipe, em :

ut modo argentum tibi dedimus apud forum, recta domum

860 sumu' profecti; interea mittit eru' me ad uxorem tuam. 20

*AN.* quā ob rem? *GE.* omitto proloqui; nam nil ad  
hanc rem est, Antipho.

ubi in gynaecium ire occipio, puer ad me adcurrit Mida,

pone reprendit pallio, resupinat : respicio, rogo

quā ob rem retineat me : ait esse vetitum intro ad eram  
accedere.

865 "Sophrona modo fratrem huc" inquit "senis introduxit 25  
Chremem"